



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 49. Sententiæ ac censuræ Facultatis Theologicæ Parisiensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

quia cum ceciderit, non habet sublevantem Sæcul. XVI.
 se, Eccl. 4. v. 10. Hunc textum La- A.C. 1544.
 tomus triplici modo explicat.

§. XLIX.

*Sententiæ ac censuræ Facultatis
 Theologicæ Parisiensis.*

Hoc item anno Domini millesimo quin- Argent. coll.
 gentesimo quadragesimo quarto die jud. t. 2. app.
 decima sexta Februarii Parisiensis Fa- p. 137.
 cultas Theologica apud PP. Mathuri-
 nos Conventum habuit, ut ea percipe-
 ret, quæ adversus Fratrem Joannem
 Pernocellum ex Ordine Fratrum Mino-
 rum deferebantur. In hac autem Con-
 gregatione, inquit Argentreus, retulit
 Magister Ruffi, quomodo pluribus Sessio-
 nibus agitatae fuerint propositiones, de quibus
 præfatus Præsentatus delatus fuerat Facul-
 tati, tandem certis censuris per dictos Depu-
 tatos notatae; quibus subjunctæ sunt asser-
 tiones cum certa forma subscriptæ, quæ om-
 nia alta & intelligibili voce pronuntiaturus
 est, si id bonum videatur prædictæ sacræ Fa-
 cultati. Post hæc Syndicus dictæ Faculta-
 tis legit propositiones prædictas & assertio-
 nes cum præscripta formula, quibus lectis
 supplicavit prædictus Syndicus, quod dictus
 Pernocellus prædicta omnia exequeretur,
 cum esset reversus, aut si recusaret, priva-
 retur a Facultate. Audito Domino Ceno-
 mani Guardiano Minorum, qui dixit, se
 fe-

Sæc. XVI. A.C. 1544. fecisse copiam dicto Pernocello proficiscendi ad ædem D. Maricæ de Liesse... qui eidem promisit, se reversurum ante diem decimam quintam proxime venturam. Collectis omnium suffragiis propter dicti Pernocelli absentiam distulit dicta Facultas ejusdem negotium usque ad decimam quintam diem proxime venturam, & inordinavit interim, quod dictus Pernocellus nullibi prædicet, & quod transcribantur prædictæ propositiones, & dentur Magistris nostris præcipue adstantibus, ut maturius examinentur prædictæ propositiones & censuræ prædictæ Facultatis, quodque dictus Pernocellus audiatur in dicta Facultate, & si nolit exequi ordinationem Facultatis, arceatur a dicta Facultate.

Postea eadem Facultas censura perstrinxit duas propositiones, quas Frater Joannes Theodoricus anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo primo in Conventu Blesensi enuntiavit. Ex his prima erat sequens: *Sacerdos celebrans Missam, nisi habeat actualem devotionem & attentionem, cum ipsum Sacramentum sumit, dato, quod sit in gratia, Sacramentum nihil ei prodest.*

II. *Sacrificium Missæ non prodest Defunctis, nisi prius habuerint devotionem actualem, & ordinaverint Missas pro se dicti, & celebrari.*

Eodem tempore Facultatis Doctores itidem quasdam damnarunt propositiones

litio-

fitiones, quas Antonius Marchand, seu ^{Sæcul. XVI.} Mercator, ex Ordine Fratrum Prædicatorum Parisiis in Ecclesia ad S. Sepulcrum protulit; nam in primo sermone ita ad populum dicebat: *Incredulitas & Blasphemia peccata sunt irremissibilia, imo Sacerdos nunquam a peccatis absolvit, sed Spiritus sanctus*: In alio autem sermone hæc asseruit: *Beata Virgo æque ac ceteri homines redemptione indiguit* (*). Denique eadem Facultas proscripsit poema Gallicum, cui Gallice titulus: *Chant Royal baladeau & rondeau* (**), eoquod in hoc carmine plures propositiones Lutheri sectæ conformes contra liberum arbitrium, pias actiones, aliosque fidei articulos fuerint contentæ.

§. L.

(*) Facultas huic propositioni sequentem amittit censuram: *Hæc propositio innuens Beatissimam Virginem Mariam indiguisse redemptione ereptiva, hæretica est, & injuriam infert eidem Sanctissimæ Virgini Mariæ.*

(**) Nomine *Baladeau* significatur carmen seu quidam rhythmus Gallicus, qui octodenis aut tricenis senis versibus in geminos duntaxat rhythmos exeuntibus est compositus, qui vulgo *Balada* vocatur: Vox vero *Rondeau* aliud genus Gallicæ odes indicat, quæ appellari potest rhythmus reciprocus vel confectarius.

Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. R